



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 4. Casu vsus Deus, ad artem medicam & vrbem erigendam; sicut & ad
S. Martinu[m] miraculosè sanandum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

30 Cap. II. Remedium patientia est,

1. Reg. 9. 3. spectas habet; *Casum* non tam *Casum*, quam
diuinum consiliū appellat. Quale utique
fuit etiam illud, cum Saul amissas asinas
quærens regnū inuenit. Misit eum Cis
pater, ut iumenta reduceret; at Deus misit,
ut in regem vngeretur. Hic *casus* Sauli ac-
cidit, qui utiq; nesciuit, simul quæri asinas
& coronas: at qui Deo *casus* non fuit, qui illi
vnam viam ad vtrūque fecit. Agē igitur,
quò nos *Casus* trahunt retrahuntque, sequa-
mur.

Virg. 5.
Æn.

*Quidquid erit, superanda omnis Fortuna
ferendo est.*

§. IV.

*Casu usus Deus, ad artem medicam, & urbem
erigendam; sicut & ad S. Martinum
miraculose sanandū.*

Cælius
lib. 14.
cap. 13.

Sed videamus alios *Casus*, diuino iudicio;
hominum consilijs aut factis intercedentes,
qui vulgò temerè, aut fortè fortuna existi-
mantur interuenisse. Atque, ut à vero ca-
sū ordiamur, Syrna, Cariæ ciuitas à Poda-
lirio est condita, quem casus extulit alienus.
Is enim cum, in Caria, à caprarum pasto-
re seruatus, ad Damæthū regem, foret per-
ductus, eius filiam nomine Syrnā tecto
delapsam, misso ex vtroque brachio sangui-
ne

nè, persanauit. Quod rex admiratus, generum sibi optauit, Chersoneso illi tradita: in qua Podalirius ciuitatem condidit, de vxoris nomenclatura, *Syrnem* appellatam. Syrna igitur cadendo Podalirij primùm artem, tum etiam *fortunam* extulit in sublime. Hoc consilium fuit Dei, fortè non meritam deijcere Puellam, vt medicum erigeret. Sic enim etiam de cæco à se illuminando, *respondit IESVS; neq; hic peccauit, neq; parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo.* Qua de causa D. Martino quoque, è scalarum casu, multis vulneribus affecto, in sequenti mox nocte, Angelus contusi corporis ita liuores salubri vnguento deliniuit, vt, postero die, nihil omnino incommodi persentisceret: scilicet *vt manifestarentur opera Dei in illo;* aut vt ipsius quoque D. Martini sanctitas manifestaretur. De his talibus dici potest.

Ioan. 3. 9.

Bonfin.

lib. 5.

Dec. 11.

Attulit ipse viris optatum Casus honorem. nam & diuina potentia, & ipsi, in casu, sunt honorati. Sic sæpe consilium est Numini, honorem suum aut aliorum Sanctorum propagandi, cum se homines putant, casu ægrotare. Morbo siquidem adacti Diuorum patrocina implorant, &, non rarò, ad saniores

Virgil. 5.
Æneid.

niolem mentem, per malè habitum corpus,
reuertuntur. §. V.

*Casu pictor impetrat, quod arte atque ingenio
non potuit. cur?*

Plutarch.
de For-
tuna.

Vult Deus nonnullis etiã ostendere, non ingenio, vel arte, eos consequi posse, quæ, præter opinionem, diuinâ ope, aliunde consequuntur. Itaque efficit, vt *casu* aliquo, atque *fortuna* habeant causam nominis & celebritatis. Pictorem memorant, equum cum pingeret, ac reliquis quidem partibus & coloribus successum habuisset, spumę verò, quæ ad frenum allidebatur, atque cum anhelitu excidebat, raritatem non probaret, in pingendo sæpius eã absterfisse; tandem iratum impegisse impatienter tabulæ spongiam, sic, vt coloribus erat infecta; quàm iniectam mirificè expressisse & reddidisse, quod optauerat. *Hoc artificiosum proditum est memoria vnum Fortune opus*, ait Plutarchus. At non tam *Fortuna* (quæ, cæca cum sit, pingere nequit) quàm Dei erat opus dicendum; Dei, inquam, per *casum*, humanæ artis superbiam erudientis, doctisquę, sæpe, in re leuissima, humanam industriam deficere, & insciam aliunde fulciri, vt indaget, vnde fulciatur.

§. VI.